

quæ sine ulla proximi læsione aut mandatorum istorum, quæ Denm  
spectant, transgressione esse possunt in nobis, qualia ferè sunt ea,  
quæ nostri amorem & crucis declinationem spectant, Lege Deca-  
logi, qua dilectio Dei & proximi summatim continetur, vetita non  
esse: Eadem tamē aliis legibus, quæ sub v. fædere viguerunt, vetita  
esse nihil prohibet. Sed id hic jam non agunt Remonstr. Hoc tan-  
tum afferunt, perperam colligi a Cenfore, idcirco censendum esse,  
quod Lex vetuerit ista omnia, quia Deum diligere jubet supra omnia.  
Qui sic colligit, nescio utrum inter sanos sit habendus. Cætera jam  
ante sæpius sunt ventilata. Actum non agemus. Interim hoc notan-  
dum sedulò hic venit, quod Censor admodum sollicitè, tum hic, tum  
alibi sæpius, id cautum velit, ne Christus Dominus noster credatur  
Legislator, aut Euangelium ejus creditur Lex esse, quæ opera ulla  
sancta, instar Legis alicuius, præscribat ac jubeat. Quid sibi velit,  
haud difficile est coniicere, quamquam sententiam suam adeò soli-  
citè tegit, ut vix appareat, quo tendat. Nempe, Euangeliū non vult,  
ex intentione divina ultima, Legis instar, quicquam præscribere,  
sed tantum indicare ac promittere, quid Deus velit efficere in iis,  
qui nominatim electi sunt ad vitam æternā, & quid in cæteris effi-  
cere nolit. Præcepta itaq; omnia, quæ in Euangeliō extant, per mo-  
dum præceptorum quidem tradita esse, sed tamen præcepta pro-  
priè dicta non esse respectu eorum, qui electi sunt, sed mera promis-  
sa. Fidem enim, quæ Euangelij præceptum primarium est, promitti  
potius, quam præcipi. Cætera verò opera in fidelibus per Spiritum  
Dei sic effici, ut nec plus nec minus operari possint, quam Deus in  
ipsis efficit, & quidem eâ vi, cui resisti ab iis non potest. Huc redit  
hæc sollicita Censoris cautio, quam non dissimulant alij, cum disertè  
aiunt, *Nullum præceptum Euangeliō propriè tradi, Legis eße præcipere,*  
*Sola promissa ad Euangelium, qua tale, pertinere.* Quæ sententia, uti  
ex absolutæ Prædestinationis maligna opinione ortum habet, & ne-  
cessariò consequitur, ita valde periculosa est & noxia. Vix credo  
periculosiorē aliquam concipi posse. Quid enim est universam vim  
præceptionum Euangelicarum simul ac semel eversum ire, & præ-  
cepta in promissa, totumq; adeò hominis officium, in puras putas  
Dei actiones transformare, si hoc non est? Quis sensus erit enuncia-  
tionum istarum, *Si credideris, dabo tibi vitam æternam : Si re-  
miseritis alij aliis offensas, remittet quoq; vobis Pater vester omnia pec-  
cata vestra, si fides, si caritas inter illas actiones referuntur, quas*  
Deus promittit & quas ipse solus in nobis sine nobis efficit? Ridicula.

Pestilens do-  
ctrina Cenfo-  
rum, quam u-  
bique in hac  
Censura incul-  
catam volne-  
runt.